Downloaded from http://rstl.royalsocietypublishing.org/ on July 19, 2018

PHILOSOPHICAL
TRANSACTIONS:

III. De Peste Constantinopoli grassante. Auctore nupero V. CL. Emanuele Timone, M. D. Hoc Scriptum ab Auctore Clarissimo qui Constantino-poli per multos annos Medicinam fecerat, excellentijssimo Ablegato Britannico, Roberto Sutton, Eq. Aurato, traditum ejusdem equitis permissu:cum societate regia communicavit R. Hale, M. D

V. Cl. Emanuele Timone, M. D. and R. Hale, M. D.

Phil. Trans. 1721 **31**, 14-21, published 1 January 1721

Email alerting service Receive free email alerts when new articles cite this article - sign up in the box at the top right-hand corner of the article or click here

To subscribe to *Phil. Trans.*, go to:
http://rstl.royalsocietypublishing.org/subscriptions

Downloaded from http://rstl.royalsocietypublishing.org/ on July 19, 2018

q q, The Teeth. In this Subject they are the Teeth of the upper Jaw; near the second of which, the Orifice of *Nuck*'s Duct appears.

Fig. 17. Demonstrates the back part (next the Cutis) of the external Maxillar Gland of the same Dog, as 'tis beset with the Buccal Glandules.

Fig. 18. Explains the external Maxillar Gland in the right Cheek of a Calf. In this Subject I could only probe two Ducts, *z*, *&c.* would not admit Bristles.

III. *De Peste* Constantinopoli *grassante. Auctore nupero* V. Cl. Emanuele Timone, M. D. *Hoc scriptum ab Auctore Clarissimo, qui* Constantinopoli *per multos annos Medicinam fecerat, Excellentissimo Ablegato* Britannico, Roberto Sutton, *Eq. Aurato, traditum, ejusdem Equitis permissu, cum Societate Regia communicavit* R. Hale, M. D.

PEstem *Constantinopoli* ex *Ægypto* communicatam tum historiis, tum quotidianâ observatione constat. Nidum tamen in hac urbe sibi fecit, &, quamvis nunquam fere veteris Pestis desint seminia, novus etiam subinde fomes advehitur. Ab hyemali intenso frigore satis bene sopitur; emicant tamen hinc inde scintillæ aliquot hyeme & vere: æstate incrementum sumit; autumnali tempore summo flagrat incendio. Venti Aquilonares statis temporibus æstate flantes (Etesiæ scil. hujus loci) quamvis frigidiusculi sint, veneni tamen pestilentialis dilatationi haud obsistunt. Australes satis calidi, si constanter flent, æstivo tempore Pestem supprimunt. Quoad symptomata Pestis *Constantinopolitana* adamussim respondet pesti

Noviomagensi

Downloaded from http://rstl.royalsocietypublishing.org/ on July 19, 2018

Noviomagensi annorum 1636 & 1637, ab *Isbr.* de *Diemerbroeck* descriptæ, Humanum genus invadit *cap.* 4. *Diemerbr.* Compertum tamen est unum vel alterum equum, canem, felemve peste bubonaria correptum, & mortuum. Vulgus (præcipue, cui augusta domi res est) tum Turcarum, tum etiam Christianorum, Hebræorumq; facile sibi persuasum habet divinitûs missam pestem; hinc non cavet à contagio: Politiores, & præcipuè Christiani sibi cavent.

Symptomata à * dicto auctore enumerantur ista, Febres, bubones, carbunculi, exanthemata, capitis dolor phrenitis, sopor, vigiliæ, anxietas, debilitas, seu magna virium prostratio, visus turbulentus, cordis palpitatio, linguæ siccitas, vomitus, singultus, lumbrici, fluxus alvi, hæmorrhagia narium, menstruorum profluvium, sanguinis mictus, sputum cruentum, dolores lateris, hepatis, renum, aliarumve partium.

His adjicio ego lassitudinem artuum ulcerosam, horripilationem, subsequente aliquando calore, sæpius non subsequente, nauseam sine vomitu, vertiginem, & motus vertiginosos, tremorem manuum statim à morbi initio. Nullum ex omnibus symptomatibus est inseparabile, imo nec tria illa pesti specialia, bubones dico, carbunculos, & exanthemata; febris sæpissime abest; ita ut regula ista generalis stabiliri possit: *Quando adsunt manifesta pestis signa, certo statuere possumus morbum esse pestem: sed quando absunt signa ista, non possumus certò statuere contrarium.* Multis enim peste correptis, leni præcedente rigore, quo nec catarrho se laborare quis suspicaretur, per plures dies ex istis signis non manifestatur nec minimum, postea autem catervatim erumpunt. Nonnulli post susceptum contagium levissimo tantum languore attacti, mox erectè obambulant, & consueta munia sine incommodo exercent; ter-

* *Cap.* 7. Diemerb.

Downloaded from http://rstl.royalsocietypublishing.org/ on July 19, 2018

tiâ autem, vel quartâ die ſtatim corruunt, animamque exhalant in viâ: & ne quis ſuſpicetur apoplexiam vel quid aliud, poſt mortem demum nigræ maculæ deprehenduntur: fidem etiam facit tum præcedens cauſa contagii manifeſtiſſima, tum propagatum poſtcà contagium. Multi etiam ſine ullâ manifeſtâ læſione erectè obambulantes ſanantur, erumpentibus etiam bubonibus & carbunculis. Plerique tamen febricitant, & graviter ægrotant. Vomitus & alvi fluxus cum ſubitâ virium concidentiâ, & cum febre peſtem indicant, & ſine febre adhuc magis. Minime ex ſignis ſuſpectis ſi dolor in emunctoriis communibus jungatur, pronunciandum eſt eſſe peſtem.

Puſtula rubicunda ad ſemi-ciceris magnitudinem in extremo purulenta maligna eſt: in lividum enim carbunculum brevi excreſcit. Carbunculi in omnibus corporis partibus indifferenter erumpunt, non exceptis labiis, linguâ, bulbis oculorum, glande penis, &c. Bubones tantum in emunctoriis. Glandulæ parvæ duræ circa collum malignæ. Exanthemata ſemper ſunt lethalia. Bubones ſi cito ad ſuppurationem tendant, ſpem promittunt. Non malum eſt, ſi etiam non bene maturi ferro aperiantur. Multi per bubonis reſolutionem curati, annis ſequentibus, ſi peſte infecta loca petant, eo in loco dolorem obſcurum ſentiunt, in quo bubonem habuerunt. Peſtis in aliquibus individuis per plures dies latitare poteſt, & poſtea in actum erumpere, A peſte convaleſcere incipiens, ſi ante quadrageſimum gravem aliquem in diæta errorem fecerit, novo erumpente bubone moritur. Pro monſtro habetur, ſi quis à peſte perfecte ſanatus eodem anno peſte corripiatur. Si diſpoſitionem corporum ad octo gradus placeat revocare; intacta peſte corpora diſpoſitionem habent ut ſeptem, & rudem merita ut unum. Infectas ædes per menſes aliquot impune incolens tandem peſte correptus fuit. * Senes difficillimè peſte corripiuntur, facillimè

* *Cap.* 4. Diemerb.

pueri.

Downloaded from http://rstl.royalsocietypublishing.org/ on July 19, 2018

pueri. Exteri multo magis periclitantur, quam Cives. Armenii omnium nationum minimè ad peſtem ſunt diſpoſiti. Obſervo illos pauciſſimis uti carnibus; cœpis, porris, alliis, vinoque maximè utuntur. Caro porcina in peſte præſentaneum venenum eſt. Nil æque ad peſtem diſponit ac animi pathemata, ac præcipue intenſus mœror, & terror inopinatus. Lue venereâ infecti indifferenter ſe habent ad contagium: bubones tamen illis ſuppurantes in fiſtulas ut plurimum degenerant. Nitidæ ædes haud æque facile inficiuntur ac ſordidæ. Cachectici, ictero laborantes, & variis aliis chronicis morbis conflictati homines dantur, & tamen peſtis ſpicula vel eludunt, vel ſuperant; roſeâ è contra facie præditi, & robuſtiſſimi moriuntur multi.

Suffumigia ex baccis Juniperi, pice, ſulphure utilia ſunt, ſi diu noctuque continuentur, ita ut ab inferiore parte totam penetrent domum. Odoramenta ex aceto haud inutilia cenſentur. Oleum ſuccini naribus illitum optimum eſt. Vinum moderate ſumptum, hilaritas animi, & bona victûs ratio haud parvi momenti ſunt in præſervatione. Phlebotomia damnatur, & præcipue ſera; ſanguis è venâ ſectâ fluens, nullo modo multoties ſiſti poteſt; ex ſcarificationibus etiam pro cucurbitularum applicatione factis ad plures horas, hoc eſt ad mortem uſque, ſanguinem vi magnâ effluxiſſe obſervatum eſt. Vomitoria levia non proſunt, fortia valde nocent: purgantia ſtatim enecant. Sola ſpes in ſudore, & alexipharmacis. Communiſſimè utuntur in hac urbe Theriaca Veneta Lapis Bezoar, quamvis genuinus, nullius fere eſt momenti. Judæi acidis utuntur. Armenii & Græci vino, & ſpiritu vini. A carnibus, & carnium juſculis relligioſè abſtinent Chriſtiani ad multos dies. Turcæ etiam hanc diætam non ſpernunt. Multi, queis parvus tuberculus nullo livore inſignis erupit, à carnibus abſtinentes,

per

Downloaded from http://rstl.royalsocietypublishing.org/ on July 19, 2018

per hebdomadam ſani obambularunt, poſtea carnibus uſi breviſſimè mortui ſunt. Opium crudum, & opiata omnia bona ſunt pro ſcopo præſervativo, ſæpe etiam pro curativo. Summum remedium Turcis magnatibus habetur oleum napthæ, ſeu Petroleum albicans, ad duas uſque drachmas epotum in vehiculo ad libitum; convenit hoc cum Camphorâ à noſtris tantopere celebratâ. Quidam multos ſanâſſe dicitur phlebotomiâ (primâ tamen morbi die) ad lipothymiam uſq; celebratâ, propinato poſtea hauſtu aceti acerrimi, in quo ſanguinis draconis & boli armenæ ā drachmam unam diſſolvebat. Phlebotomiæ negotium in medium examinandum relinquo; aſt certe præſtantiſſimum remedium eſt. Frictio rubificans tum in pectore, tum in dorſo, in locis utrinque cordi reſpondentibus, cum allio contuſo fortiſſimè per aliquot horas celebrata, proficua eſt. Radix hellebori, ſectione factâ, carni ad emunctoria tranſverſim infixa utilis eſt. Pulli gallinacei, vel columbini, ſeu vivi, ſeu per medium ſecti, bubonibus & carbunculis, & etiam regioni cordis appliciti, & ſæpiſſime iterati (ſed ultra ſemihoram non retinendi) utiliſſimi comperti ſunt. Oleum Succini, & extractum Juniperi in praxi fæliciter ſucceſſerunt. Methodus prædicti *Diemerbroeck* per omnia utilis eſt huic peſti; certè bene de Peſte ſcripſit auctor hic, excepto quod peſtis cauſam nimis alte deducat. *Barbette* etiam haud eſt contemnendus.

Anno 1712. Peſtis *Byzantii* in fine *Maii* Menſis incrementum ſumpſit. In fine *Julii* erat in ſummo furore. In determinato loco obſervatorem habui, qui mortuorum cadavera ad nonaginta & ſupra uno die numeravit. Eteſiæ flabant vehementiſſime; ceſſantibns Eteſiis, Auſter flavit ſatis intenſe. Primâ poſt Auſtri flatum hebdomadâ, cadavera non numeravit in die niſi circiter quadraginta; ſecundâ hebdomadâ triginta circumcirca;

Downloaded from http://rstl.royalsocietypublishing.org/ on July 19, 2018

cumcirca; tertiâ minus viginti: qui numerus in bonâ etiam urbis ſalubritate tali anni tempore ſingulis diebus non deeſt. Sic autumnali tempore peſtis ſopita eſt anno illo: ſed ut plurimum tali tempore ſævire ſolet, & mediâ æſtate, vel in fine æſtatis incrementum ſumere. Peſtem vere incipientem, autumno ſopitam alias etiam obſervatum eſt. Notandum eſt poſt ſolſtitium æſtivum peſtem in Ægypto, quamvis ferociſſimam, infallibiliter deſinere: cauſa altioris indaginis eſt. Climatis Ægyptiaci characteriſmus in hoc peculiari peſtis phænomeno aliquatenus ad Smyrnam uſq; inſulamque Chiam, ipſaſq; Helleſponti anguſtias ſeſe extendit. Obſervandum ulterius Eteſias, ventos ſcil. Aquilonares, curſum ſolis ſequentes, aerem vehere, non excrementitiâ ſolum humiditate, ſed nitroſis particulis valde ſaturatum & imbutum. Anſa mihi fuit hujus rei cognoſcendæ veſtis quædam, quâ nos utimur ex pilis caprarum textâ. Veſtis hæc Hygroſcopii quoddam genus videtur; nam quâ parte ſudore manuum, vel colli, fuerit antea madefacta, quamvis ſereſcat, & poſt multos etiam menſes in uſum denuo accipiatur, horâ tamen dimidiâ, vel unâ poſt ortum Solis, quando nimirum Eteſiæ ſpirare incipiunt, talem madorem denuo contrahit, ut maculâ nigrâ intenſiſſimâ inficiatur. Veſtis poſt duas, vel tres horas denuo exſiccatur, & macula evaneſcit. Hic duo ſunt notanda: primum eſt; ſi ſimplici aquâ veſtis illa fuerit ſæpius imbuta, & poſtea ſereſcat, haud ſuccedit hoc phænomenon madoris & maculæ, prout quando ſudore imbuta eſt: ſecundum conſideratione dignum eſt hoc; ſi forte fortunâ tempus ſit actualiter pluvium, haud æque facile madere inficiq; maculâ veſtem illam, dummodo actualiter pluviæ non exponatur; ex quibus colligo, præter aqueas particulas, nitroſis ſalibus imbutum aërem ex Ponto Euxino huc advehi primo Eteſiarum flatu. Particulæ iſtæ nitroſæ

à congeneribus

Downloaded from http://rstl.royalsocietypublishing.org/ on July 19, 2018

à congeneribus ſalinis particulis à ſudore veſti illi communicatis fixantur & retinentur, & combinatione factâ maculam efficiunt. Salibus igitur iſtis imbutus aer fermenti peſtilentialis (quod indolis ſalino-corroſivæ eſſe probabile eſt) dilatationi fomitem præbere poteſt. *Ægyptium* autem aerem, mediante vento auſtrino huc pervenientem, ſumme rarefactum & talium expertem ſalium, Peſtis dilatationi obſiſtere poſſe veriſimile eſt: Adde, quod calidus Auſter corpora ad tranſpirationem magis diſponat.

Si quis quærat interim, utrum Peſtis ſanguinis coagulationem vel nimiam diſſolutionem inducat? dico neutrum primario, & immediate facere, ſed utrumq; poſſe accidere tum proceſſu temporis, tum ratione maſſæ ſanguineæ, in variis individuis, quoad principia activa, variantis. Primario autem & immediate Peſtis ſpiritus adoritur: liquidis ſubſequenter, & ſolidis varia inducit mala, ſecundum varium tum liquidorum, tum ſolidorum ſchematiſmum. * Hinc varia ſymptomata in peſte, & ſibi è diametro oppoſita, quæ unico remedio vinci non poſſunt, ſed prudentis Medici requirunt Judicium, ut, quod opportunum eſt, in actum deducatur. Generaliter tamen obſervandum, ut citiſſime generoſiſſima remedia, & in magna doſi propinentur: ut in principio oleoſo-balſamica, & ſpiritibus amica volatilia uſurpentur; ut omnes evacuationes præter ſudorem vitentur; artificiales igitur non tentandæ, naturales ſiſtendæ ſuis quæque appropriatis; (ſic alvi fluxus ſalutariter ſedatus fuit clyſtere aſtringente, cui Theriaca erat immixta,) ſi ſpiritus ſint effrænes & peccent in motu aucto, quod à Vigiliis potiſſimum cognoſcitur, ut ſiſtantur per Opiata. Si contra necroſi, ſeu languore afficiantur, quod ab effectibus potiſſimum ſoporis cognoſcitur, ut ſuſcitentur per volatilia, & Cam-

* Diemerb. *cap.* 7.

phorata.

Downloaded from http://rstl.royalsocietypublishing.org/ on July 19, 2018

phorata: ut ſanguinis conſiſtentia integra ſervetur in proceſſu, mali, quod fit acidis & terreis adſtringentibus, ut Venenum ad peripheriam alliciatur, &c.

Anno 1714. Emanuel Timonius,
Conſtantinopolitanus.

IV. *An Account of a Luminous Appearance in the Air at* Dublin, *on* January *the* 12*th*, 17$\frac{19}{20}$. *By* Philip Percival, *Eſq*; *Brother to the Right Honourable the Lord* Percival, *and communicated by his Lordſhip to the Royal Society.*

I Here ſend you a Sketch of an odd appearance in the Sky; it began about 10 a Clock on *Tueſday* laſt, but nothing very remarkable till about half an Hour after Eleven, when I was call'd out to ſee it, by the Servants, who had been looking at it about half a quarter of an Hour, and told me it looked juſt like Fire. But it appeared firſt to me in long ſtreams of light, of a round Body, as at A, and very bright, tho' ſome were coloured, as at A *a*. They came before the Wind, which was then Weſt, as near as I could gueſs, there not being a Cloud in the Sky, and the brighteſt Moon I have known. We had Rain about Five, but at 6 a Clock the Night was clear. The Streams of Light A A, moved very ſlow, (there being but little Wind) but as they moved they joined, and, ſwelling out in the middle, formed themſelves into the Figure *b b* B, continuing to advance ſlowly in that ſhape for about a Minute, when the two Ends *b b*, approaching near each other, as deſcribed by the

 prick'd